



# Disputatio juridica inauguralis de familiae erciscundae actione

<https://hdl.handle.net/1874/343271>

26.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
FAMIEIE ERISCUNDÆ  
ACTIONE.

Q U A M,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicī consenſū, Nobilissimāque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè & legitimè consequendis,*Eruditorum examini subjicit*

P E T R U S van E R P, Gorcomii-Batavus.

*A. D. 25. August. horis locoque solitis.*

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Icc xc.

житий Богоявия

Слово к архиепископу Феодору

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

D E

# Familiæ Erciscundæ Actione

THESIS I.



Ommunionem esse maxime discordiarum fomentum, non sine ratione censuit illustre juris asylum, legalisque doctrinæ thesaurus Papnianus noster in l. 77. §. 20. de Legat. 2. Quod & ex ipsis sacris memorabili confirmatur exemplo, Lothi & Abrahami: vix illi simul inceperant indivisa possidere prædia, vix in communia pascua promiscue suos pecorum armentorumque greges immiserant, quin illoco gravis suboriretur inter utriusque pastores contentio. *Genesios cap. 13. vers. 7.* eamque esse negligentiæ matrem abunde, sæculorum omnium experientia comprobavit, uti disertis verbis imperatores testantur: (*naturale quippe vitium est negligi quod communiter possidetur utque se nihil habere, qui non totum habeat; arbitretur denique suam quoque partem corrupti patiatur, dum invidet alienæ*) in l. 2. C. quand. & quib. quart. pars Ad evitandas ergo immensas illas, quæ metuunture communione rixas, desidiæque vitia, optima sane ratione, lex introduxit hanc actionem, quam *Familia Erciscunde* JConsulti appellauit.

I I.

Ne autem in vestibulo statim difficultas ex ambiginitate vocabuli *Familia* resultet; sciendum est illud multiplicem in jure nostro

A 2 signi-

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

significationem admittere , vel accipitur de rebus , vel de personis ; de personis quando intelligitur tum rursus quinque modis accipitur , ut docent *Ulpianus & Alciatus* , quæ (ut brevis sim ) hic non libet referre : quando vero accipitur de rebus , uti hic , tunc rerum hæreditiarum universitatem , aut rem familiarem significat , in lege namque *12 tabularum* , hunc in modum reperiatur lex concepta *proximus agnatus familiam habeto l. 195. §. 1. de V.* S.eadem est hujus verbi vis in Terentii versu heantont :

*Decem dierum vix erit mihi Familia.*

Verbum autem Erciscere est antiquum olim scriptum per adspirationem , herciscere idemque designans quod dividere ; indicat ille aperte *Isidorus origin. lib. 5. cap. 25. Familia herciscunda inquit , est divisio hæreditatis inter heredes ; herciscunda , apud veteres divisiō dicebatur.*

## III.

Hisce premissis ; ad hujus actionis definitionem me accingo : de definitur actio *Familiae Erciscundæ quod sit actio duplex , personalis , civilis , bona fidei , rei persecutoria , qua datur hæredi , a commissione recedere desiderantii , adversus cohæredem , ad divisionem rerum hæritatarum & præstationes Personales perlustremus singula.*

## IV.

Dicitur , *duplex* , idque ad exemplum interdictorum duplicitum *uti possidetis & Utrubi* ; uti ea enim appellantur duplicita , quia par utriusque litigatoris in his est conditio ; nec quisquam præcipue reus vel actor intelligitur , sed unusquisque tam actoris quam rei partes sustinet *§. 7. inst. de interdict. l. 2. ff. eod.* sic & hæc actio eadem de causa dicitur esse duplex , cuw in ea quilibet hæredum reus & actor simul esse videatur *l. 2. §. 3. ff. b. t. & l. 44. §. 4. ff. eod.* quo sensu etiam mixta hoc Ulpiano vocatur *actio l. 37. §. 1. ff. de oblig. & aet.* hinc est quod utrique sit imposita necessitas calumnia præstandi jusjurandum conjunctis formulis , alias actori & reo separatim pronuntiandis *l. 44. §. 4. ff. b. t.* Ne tamen penitus judiciorum everteretur ordo , juxta quem ad ventilandas , ac terminandas controversias , distinctæ tres desiderantur personæ , Actor puta index & Reus ; etiam magis placuit JConsultis , ut is potissimum actoris

actoris loco habeatur, qui primus ad divisionem provocavit, qui vero provocatus est, rei munere fungi videatur *l. 13. ff. de judic.*  
*l. 2. §. 1. ff. comm. divid.* unde si plures, cohæredes simul provo-  
caverint ad divisionem Ulpianus suppeditat nobis remedium in *l.*  
*14. ff. de judic.* ut fortis arbitrio decidatur quis eo in judicio reus quis  
actor sit futurus.

## V.

Dicitur porro (*personalis*) quia descendit ex obligatione quæ  
obligatio descendit ex quasi contractu *§. 4. instit. de oblig. que quas.*  
*ex contr.* & etiam resertur hæc actio inter actiones mere personales  
*l. §. 1. C. de annal. except.* &c. opponiturque actioni reali, *l. 3. C. in*  
*quib. cess. long. temp. præsc.* Inde clare patet, quod hæc actio non  
sit realis, neque mixta; nego enim tales actiones sua natura (quæ  
æque sunt in rem ac in personam) dari; fateor ex accidenti tales  
esse, quatenus aliquid admixtum habent ex reali actione, & con-  
tra reales aliquid ex personali admixtum habent. *Civilis* descendit  
enim ex lege *12 fabularum*; *bonæ fidei* hanc actionem esse, non est,  
quod dubitemus, cum in ea iudici libera concessat sit facultas, æ-  
stimandi, quantum actori tribuendum sit, & ipse *Imperatores* eam  
in munero actionum bonæ fidei collocandam censuerint *§. 28. in-*  
*stit. de act. l. 9. C. b. t.*

## V. I.

Cætera verba definitionis judicant 1 cui detur nostra actio 2 ad-  
versus quem 3 ad quid.

Datur *Hæredi*, qui vel civili vel prætorio jure universalis de-  
functi successor est, *l. 48. ff. b. t.* & *l. 24. §. 1. ff. eod.* aut alio, quo-  
modo vicem hæreditis sustinet, qualis est is, cui restituta est ex  
*Trebelliano Sconsilio* hæreditas *l. 24. §. 1. ff. b. t.* *l. 40. ff. cod.*, aut  
adrogatus filius, cui ex constitutione Pii, quarta est debita *l. 2. &*  
*§. 1. ff. b. t.* quibus tamen non competit directa sed utilis actio *d. l.*  
*40. ff. b. t.* *l. 2. §. 1. ff. eod.* (*a communione recedere desideranti*) tum  
ut, constaret neminem in hæreditiarum rerum communione in-  
vitum esse detinendum, sed quandocumque pro libitu divisionem  
posse exigere *l. fin. C. comm. dividund.* adeo quidem ut unusinviti  
cæteris ad divisionem possit provocare *l. 43. ff. b. t.* licet

6 DISPUTATIO JURIDICA

forte pactum intercesserit, ne a communione recedatur l. 14. §. 2. ff.  
comm. divid. propter rationem in Thesi prima dictam.

VII.

*Adversus cohæredem*, l. 1. ff. b. t. cum in aperto sit inter cohæredes duntaxat huic actioni esse locum l. 36. ff. b. t. l. 1. §. 1. ff. b. t. usque adeò ut qui alium hac actione convenient, eundum eo ipso fateri censeantur cohæredem, & sufficit ad impediendam repetitionem, quod quis per judicem se putet condemnatum a. l. 36. Nihil interest sive possideant hæreditatem nec ne l. 1. & l. 25. §. 2. ff. b. t. Nec dubitandum, est, quin & inter pauciores hæredes ex pluribus hoc judicium accipi possit l. 2. §. 4. d. ff. b. t., quod tamen absentibus, aut ad divisionem non vocatis, nullum creat præjudicium l. 17. C. b. t. l. 44. ff. eod. cum jus quæsitum alterius facto auferri nequeat.

VIII.

*Ad divisionem rerum hæreditariarum*, ( ipsa enim hæreditas, quæ est res incorporalis §. 2. inst. de reb. corp. & incorp. corporal. di-  
vidi non potest l. 8. in fin. ff. de reivind.) quo verbo deonatur  
res dividendas debere defuncti cuiuspiam esse patrimonium, nec  
viventis facultates in hoc posse judicium deduci cum nulla hære-  
ditas sit viventis l. 1. ff. de hæredit. vel act. vendit. ne alioquin cum  
cæteris devisioniis confundatur judiciis hæc actio, quæquidem  
etiam circa res communes versari dubium non est, non tamen cir-  
ca res hæreditarias, unde JConsultus prodidit in l. 2. in fin. princ.  
ff. b. t. generaliter eorum duntaxat hæreditatem dividii posse,  
quorum peti potest.

X.

Videamus de quibus rebus detur hæc actio, & quæ res in hoc  
judicium veniant. Pertinet hoc judicium ad omnem hæreditatem,  
sive ex testamento, sive ab intestato, vel alia lege devolu-  
tam l. 2. ff. b. t., sed & de pluribus hæreditatibus, quæ inter  
eosdem ex diversis causis communes sunt, judicium familiæ Er-  
ciscundæ sumi potest l. 25. §. 3. ff. b. t. deque omnibus rebus hære-  
ditariis, tam mobilibus quam immobilibus, tam defuncti, pro-  
priis quam alienis ( etiam sub conditione abituris ) quas bona fide  
defun-

defunctus possedit. l. 9. cum sequent. ff. b. t. aut pignoris habuit  
l. 29. ff. b. t.

## X.

Hisce expositis, series ordinis nos eo deduxit, ut videamus, quibus modis res hæreditariæ inter cohæredes dividantur; perfici namque solet divisio potissimum quatuor modis, vel ab ipso testatore, vel ab ipsis cohæredibus inter se, vel denique officio judicis & ope legis.

Per ipsum testatorem eam fieri posse, satis explorati juris est per l. 20. §. 3. ff. b. t. liberum enim est cuique rerum suarum arbitrium l. 21. C. mandat: (nisi id lege, conventione, decreto Judicis testamentove fuerit ademptum) & res proprias arbitratu suo disponendi, alienamdiique, non modo inter vivos, sed præsertim ultima voluntate *tir. inst. de lege fusia can. rollend.* cum libera potissimum debeant esse morientium judicia, nec quicquam magis debeatur hominibus quam ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber eorum sit stilus, & licitum quod iterum non reddit arbitrium l. 1. C. de *sacrosanct. Eccles.*

Unde & Imperator *Justinianus* in *Nov. 48. in pref.* unam se  
hanc habere intentionem profitetur, ut firmæ sint morientium dispositions, nisi resulant legi, & aperte contrariae sunt iis quæ ipsi placent. A qua divisione, si testator cuivis hæredi integras supremo judicio dederit res hæreditarias, hæredes non possunt recedere l. 10. C. b. t. ista rerum divisio, ita per ipsum testatorem facta, plenissimum inter coheredes fortitur effectum, omnium est firmissima, minimeque rescissioni obnoxia, quia de læsione ultra dimidium, hic nullus hæredum jure possit conqueri, dum eo solo quod datum est contentus esse jubetur l. 10. C. b. at longe dispar cernitur ratio in liberis, quibus in omnem eventum salva saltem debet esse portio legitima l. 21. b. t.; illam enim ipsis per suem divisionem pater nequit absque justa causa minuere, vel prorsus adimere §. 6. *inst. de inoffic. testam. Nov. 18. & Nov. 115.* Probanda autem est divisio a patre facta ex scriptura patris, aut saltem ex ejus subscriptione, aut omnium inter quos divisio facta est liberorum subscriptione *Nov. 18. cap. 7. & Authent.* (si modo) C. b. t. hinc  
opor-

### 3 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

oportune una aut altera Quæstio moveri possit 1. Quæritur si pater quædam bona diviserit, & quædam indivisa reliquerit, quomodo indivisa sint dividenda. Respondeo quod æqualiter pro virili portione sint dividenda l. 21. juncta l. 11. C. b. t. 2. Quæstio mouetur, quid juris sit, si pater divisionem prohibuerit, ego puto, quod, non obstante tali patris prohibitione, unus tamen ex filiis ad divisionem posset provocare per l. ult. C. comm. divid. cuius rei rationem disertis verbis suppeditat nobis *Papinianus* in l. 77. §. 20. ff. de legat. 2.

#### X I.

Dictum, de divisione per testatorem facta, nunc agendum venit de divisione quæ a cohæribus ipsis inter se facienda est; ea divisio maxime J Consultis est probata, quæ per ipsos fit cohæredes, non exspectata judicis arbitrio, sententia, autor *Papinianus* est l. final. ff b. t.; huic autem divisioni tum præsertim locus est, cum testator vel omnia, vel aliqua bona reliquerit indivisa l. 32. ff. b. t. qua in parte notandum est, quod nudum pactum de divisione non sufficiat, sed divisio debet fieri interveniente ipso l. 15. C. b. t. cum vulgatissimum sit juris axioma, traditionibus & usucaptionibus dominia rerum, non nudis pactis transferri l. 20. C. de pact.

Non aliud magis observandum est inter hæredes quam ut omnia (cum hæc actio sit bonæ fidei) bona fide, non vi, non clam, non doloso gerantur proposito l. 3. C. comm. utrinq. judic., hinc forsitan mihi aliquis objiciet, an non prætextu læsionis divisio possit revocari quod affirmandum puto, si unus cohæredum læsus sit ultra justam dimidia partem ex l. 2. C. de rescind. vendit arg. comm. utrinq. judic. habet hoc autem locum in divisione extrajudiciali, judicialis diviso autem facta, non potest retractari nisi ex iisdem causis ex quibus sententia retractatur.

#### X II.

Divisio jam debito modo inter hæredes facta; Controvertitur, si post divisionem res uni hæredum fuerit evicta, an cohæredem habeat obligatum de evictione; puto sententiam affirmantium esse veriorem, quod eum habeat obligatum, licet de evictione nihil fuerit cautum l. 14. C. b. t. & hæres non tantum ad simplicem rei æstimatio-

mationem, sed etiam ad id quod intereat possit contra cohæredes contendere actione de evictione ut & lucri cessantis, omniumque accessionum estimationem ab iis pro rata consequatur arg. l. 8. l. 16. in princ. & l. 51. §. 3. ff. de evict. l. 9. & l. 17. eod. Cessat autem evictio tvariis in casibus 1. si is cui res evicta est, periculum evictionis in se suscepit d. l. 14. ratio est in l. 29. C. de pacz. 2. in divisione facta ab ipso testatore vel patre l. 77. §. 8. ff. de legat. 2. ratio videtur mihi, quia ito casu, hæreditas, ipso jure nunquam fuit communis. 3. Si res culpa ipsius cohæredis fuerit evicta l. 39. §. ult. ff. b. t.

## X I I I.

Aggregior nunc judicis officium, perquam necessarium in divisione, si hæredes inter se tentaverint quidem, non tam ex consensu perficere potuerint rerum hæreditariaum divisionem ( nimio forsan agitati contentioñis fervore, lucrive cupidine ) l. 1. C. h. r. ne alioquin ad rixam & arma procedant, quod in iis judex pati non debet, quos sua jurisdictione potest componere l. 13. §. 3. ff. de Usufruct.

Ante omnia judicis est inquirere 1. illi ne cohæredes sint, qui controversiam sibi mutuo moverunt, eumque, qui in probando successionis jure defecerit ab hoc excludat judicio l. 1. §. 1. ff. b. t. si contra, judex iure hæredibus injunget, ut omnes defundi facultates in aperto proponantur, cum nihil debeat judivisum relinquare l. 25. §. 20. ff. b. t.

2. Illud judicis officio incumbit, ut totam hæreditatem dividat, & nihil omnino relinquat indivisum d. l. 25. §. 20. cum enim tota hæritas petatur dividenda, & sententia & officium judicis libello debet esse conforme arg. l. 18. ff. comm. dividund. & l. fin. C. de fideicom. libert. & si quasdam reliquerit res indivisas (cum hoc judicium sit universale, quod amplius quam semel institui non possit l. 20. §. 4. ff. b. t.) instituendum est communi dividendo judicium d. l.

3. Ut singulas res facile divisibles, singulis hæredibus quantum fieri possit æqualiter adjudicet. §. 4. inst. de offic. judic. & si in æqualis sit adjudicatio, alterum, cuius pars præponderat in certam summam pecunie condemnat d. §. 4. & l. 52. §. 2. ff. b. t. & si quæ res

B commode

commodè divisionem non recipiant, judex tunc debet alteri cohæredum ex bono & æquo totam rem adjudicare, & vicissim illum ad certam num morum quantitatem cohæredi præstandam condemnare §. 4. & 5. *inst. de offic. judic.* aut uni, rei proprietatem & alteri usumfructum istius rei adjudicare l. 16. §. 1. ff. b. t. vel licitatione admissa, & compensatione prætii facta uni rem adjudicare l. 22. §. 1. ff. b. t.

## X I V.

Ope legis dividuntur nomina, quæ ex lege *Duodecim Tabularum* inter hæredes in portiones hæreditarias ipso jure divisa sunt l. 6. C. b. t. l. 2. §. 5. & l. 25. §. 1. ff. eod. interdum tamen cuique pro portione, sua nomina ad judicari possint l. 3. ff. b. t. ut quisque sciat aquo debitum exigat l. 2. §. final. ff. b. t. uti, & debitum passive, ut quisque sciat cui solvat, quæ adjudicatio tamen non præjudicat creditori cui salva manet obligatio pro portione hæreditaria in singulos hæredes l. 23. C. b. t.

## X V.

In hoc judicium non veniunt res, quæ dividi non possunt; sua natura, ut res incorporeæ, puta servitutes, cum enim solummodo jura seu qualitates prædiorum sint, divisionem non récipiunt arg. l. 7. *de servit. ratio est*, quod neque l. 12. *Tabularum* actiones pro his competentes inter hæredes divisit l. 25. §. 9. ff. b. t.

Etiam personales servitutes, casu, quo ad hæredes transierint, veluti si alicui pro se hæredibusque constitutus fuerit ususfructus l. 5. ff. quib. mod. ususfr. amitt. l. 14. C. de ususfruct. vel seruo legatum fuerit utendi huendi jus, quod post domini durat obitum, quamdiu servus in vivis, est l. 15. ff. b. t. quæ utiliter tamen in hoc veniunt judicium, non ut dividantur, sed ut uni in totum adjudicentur, & alter prætium pro iis accipiat l. 55. ff. b. t. vel ut inter positis cautionibus, singuli per certnm tempus, aut alternis annis utantur fruantur, & apud eos vice mutua sit totus ususfructus l. 16. §. 2. ff. b. t. l. 7. §. 10. *comm. divid.* vel ipsum elocetur prædium ususfructuarum, & pensiones inde redactæ pro rata cedunt cohæredibus l. 7. §. 10. *in pr. ff. eod.*

Quædam res dividi non possunt, quia lex propter turpitudinem impedi-

impedimento est l. 4. ff. b. t. ut sunt venena, mala medicamenta d. l. §. 1. talia autem quæ nobis nullo modo usui esse possunt l. 236. V. H. aut libri improbatæ lectionis, ut sunt magici, mathematici, hæretici, l. 4. §. 1. ff. b. t. quæ omnia non sunt inter hæredes distribuenda, sed potius per judicem innocentis bonique viri officio fungentem corrumpenda d. l. 4. §. 1. ff. b. t. Ipsi codices mathematicorum in conspectu, & sub oculis Episcoporum concremari debabant l. 10. C. de Episcop. audient. neque dividenda turpia lucra, quæ defunctus ex furto, sacrilegio, vi, peculatu, aliisque in honestis ac per leges improbatæ acquisivit artibus l. 4. §. 2. ff. b. t. quæ dominis aut quibus debentur oportet restitui, cum turpia lucra hæredibus extorquenda sint l. 5. ff. de calumniat. inter res quæ divedi non possunt, quoque referuntur, quæ singulari titulo ut pro donato, legato, aut pro emptore &c. a cohæredे possidentur l. 25. §. 7. & l. 45. princ. fft b. t.

## X V I.

Familia Erciscundæ judicium ex duobis constare, rebus vide-  
licet, & præstationibus personalibus, testis est Ulpianus iu l. 22.  
§. 4. ff. b. t. postquam jam actum fuit de rebus; restat nobis ut  
præstationes personales (tanquam finem minus principalem) pau-  
cis tractemus.

Hæ autem inducuntur Lucri, Damni, Impensarum ve nomine.

1. Lucri nomine, ut si quid ad unum cohæredum ex hæreditate  
pervenerit, ut cæteris communicit cohæredibus §. 3. inst. de oblig.  
que quasi ex contr. §. 4. inst. de offic. judic. & l. 19. & l. 44. §. 3. ff. b. t.

Huc pertinet materia collationis, nam ut & qualis fiat bonorum  
paternorum divisio inter liberos; fratres & sorores eorumque de-  
scendentes (quotiescumque jure repræsentationis ad hæreditatem  
alicujus adscendentis in linea recta vocantur) bona a parentibus ad-  
huc in vivis accepta debent conferre in communem hæreditatis mas-  
sam. l. 1. & tot. tit. ff. de Colla. nepotes proinde conferre tenebun-  
tut, quicquid eorum parens ab avo receptum conferre debuisset.  
Excipiuntur sumptus in studia, dignitatem & peregrinationem si-  
liprum, qui non sunt conferendi l. 1. §. 16. ff. de collar. & l. 50. ff.  
b. t. nisi sit dignitas quæ vendi potest, l. pen. C. de collat.

Fructus autem per unum ex cohæredibus perceptos, quod spectat, illi hac actione cæteris sunt communicandi cohæredibus l. 17. C. h. t. & l. 4. in fin. C. commun. derid. quoniam incremento fructuum portio hæreditatis ad unumquemque pertinens augetur. l. 9. C. h. t. l. 2. C. de hæredit. petit. l. 20. §. 3. eodem. Controversia hic movetur, utrumne soli communicandi sint fructus extantes, an vero etiam consumpti: facilis est huic controversiæ decisio, si distinxerimus inter bonæ & malæ fidei possessorem, per malæ fidei possessorem intelligo talem, qui cum sciret alios esse cohæredes, omnes nihilominus fructus ex hæreditate cepit; e contrario per bonæ fidei possessorem eum intelligo, qui cum adivisset hæreditatem, se solum hæredem esse credebat; distinctione facta, dico jam quod priori casu, non extantes modo præstiturus est hac actione, verum & consumptos §. 35. inst. de rer. divisi. l. 4 §. 2. ff. fin regund. cum mala fides faciat eos exstare; neque quam possit. vel percipiendo, vel consumendo fructus ullos suos facere, qui non fuerit in bona fide l. 23. §. 1. & l. 48. §. 1. ff. de acquir. rer. domin. posteriori vero casu, fructus divisionis tempore extantes omnino debet pro rata refundere l. 22. C. de reivind. & arg. l. 4. §. 2. ff. fin. regund. ad consumptos autem præstandos non aliter hac actione tenetur, quam quatenus ex iis factus est locupletior l. 1. §. 1. C. de hæred petit. & l. 25. §. 11. ff. eodem. fructus vero post suscepsum judicium percepti in universum cæteris pro rata communicandi sunt l. 22. C. de rei vind. desinit bonæ fidei possessor esse cum quo lis est contestata l. 10. ff. de usur. & §. 2. inst. de offic. judic.

## X V I I

2. Damni nomine, ut si per aliquem ex cohæredibus damnum ipsius culpa dolore fnerit datum l. 25. §. 16 ff. b. t. dum aut nonnulla, quæ peragenda fuerant omisit, aut contra, quædam commisit quæ debuerunt omitti, id universum in hac actione considerandum erit, l. 16. §. 4. ff. b. t. adeo ut is qui sua fraude, vel negligentia nocuit, teneatur resarcire damnum, aut tanto minus, divisionis tempore ex hæreditate percipere, quanto deterior res ipsius facto effecta est l. 19. C. h. b. t. & l. 8. §. 2. ff. comm. dividund. etiam qui servitutes prædiis hæreditariis debitas, non utendo passus est amitti, damnum

damnum hac actione resarcire compelletur *l. 25. §. 18. ff. b. t.* ut & si quis ex cohæredibus res seu rationes deleverit hæreditarias, cancellaverit, aut corruperit; quamvis contra talem nata sit actio ex lege Aquilia, nihilominus, & hæc actio cum illa concurrit *l. 16. §. 5. ff. b. t.*, non tamen si, hac conveniatur actione, agitur ad poenam sed tantum ad simpli aestimationem *l. 17. ff. b. t.* In genere cohæredes non sunt præcise ad stricti certo gradu cuiuslibet culpæ, sed sufficit quod talem in hæreditariis rebus gerendis monstrent diligentiam, qualem in propriis præstare consueverunt *l. 25. §. 16. ff. b. t.* ubi additur ratio.

## X V I I I.

3. Præstations personales comprehendunt, etiam impensas: tria autem potissimum debent concurrere requisita ut id quod erogatum, est in hoc veniat judicium. Quod ad primum, requiritur, ut in res hæreditarias impensa fuerint factæ post mortem illius de cuius hæreditate controvertitur *arg. l. 16. §. 4. ff. b. t.* ne tantum post mortem, sed post aditam hæreditatem *l. 49. in fin. ff. b. t.* quicquid autem aliquis impenderit antequam per aditionem hæres esset effetus, ad id frustra, per hanc contendet actionem *d. l. 49.* factæ sunt enim eo casu impensæ in rem antequam communis esset, quæ in divisorium venire non possunt judicium *l. 4. §. 3. ff. comm. dividund.* excepto casu in *l. 25. §. 19. ff. b. t.* constituto in favorem libe-

rorum.  
Quod ad secundum, requiritur ut impenderit hæreditario nomine, adeoque tanquam hæres *l. 44. §. 3. ff. b. t.* si enim errore lapsus, impensa in rem hæreditariam fecerit, putans eam esse vel suam, vel ad aliumquempiam amicum pertinere, non hac, sed negotiorum gestorum actione videtur experiendum esse, quia nihil prouersus animo hæredis gesserit *l. 49. in fin. ff. b. t. & d. l. 44. §. 3. ff. b. t.* sufficit autem quod communem rem esse noverit, quamvis nesciverit quem habeat consortem, neque enim illa debet ei obesse facta ignorantia *l. 6. in pr. & l. 14. ff. comm. divid. l. 29. ff. eod.*

Quod ad ultimum requiritur ut utiliter ejusmodi sumptus in rem facti sint *l. 25. §. 15. ff. b. t. arg. l. 25. ff. de negot. gest. & hoc est,* quod in plerisque legibus per bonam fidem est donatum, dum Im-

peratores & i*Consulti* requirunt ut bona, fide impensæ fiant l. 18  
 §. 1. C. h. t. l. 18. §. 3. ff. eod. Utiles autem impensæ non sunt æstimandæ ex eventu, quatenus iis vel conservata aut melior redditum fuerit res, sed potius ex principio, sic ut satis sit, quod ab initio negotium ita fuerit comparatum, ut ex iis impensis, non frustra speraretur utilitas, licet forsitan intentioni non respondeat eventus, effectus affectum l. 10. §. 1. ff. de negot. gest. l. 9. ff. comm. divid. & l. 17. ff. de in rem vers.

Concurrentibus hisce requisitis, si unus ex hæredibus (urgente necessitate, non vero ex voluptate) sumptus fecerit in res hæreditarias, isti sumptus a cæteris cohæredibus pro rata hac universalis restituuntur actione l. 18. §. 3. h. t. aut quod eodem redit, ad missa compensatione tanto minus ex hæreditate singuli percipient *Vinn. ad §. 4. inst. de offi. judic. c.*

Coronidis loco, illa, in hac materia non, est prætereunda controversia, an actio familiæ Erciscundæ, longi vel longissimi temporis præscriptione perimitur, si inter cohæredes non fuerit intenta, adeo ut in posterum nequeat a communiano recedi cohærede repugnante? ego puto sententiam negantium esse veriorem, quod cohæredes semper, nullo temporis lapsu illud impediente, possint familiæ Erciscundæ actione inter se experiri, nec hæc sententia suis destituta est rationibus 1. Quoniam usucapio vel præscriptio, non possit ei competere, qui rem non possidet animo domini nec proprio nomine, nam quandiu hæredes sunt in communione, possident rem pro judiviso, sic ut nullus sit contra quem præscribant l. 2. C. de prefer. 30. annor. l. 7. §. 5. C. eodem. 12. Per ipsum pactum divisio in perpetuum non potest tolli l. 14. §. 2. ff. comm. divid. multo, minus ergo præscriptione. 3. Quia nemo unquam invitatus in communione possit retineri l. ult. C. comm. divid. 4. Cum usucapio & præscriptio ad inventa; sit ut tolleretur omnis contentionum materia, & aliquis esset litium finis l. final. ff. pro suo, non utique debet ita rerum communionem introducere, ut in posterum ab ea nunquam recedi posset; cum eo modo lites non amputarentur, sed potius continua præberetur occasio discordiarum, quas solet excitare communio l. 77. §. 20. de legat. 2.



## COROLLARIA.

I.

*Jurisdictio criminalis potest prorogari.*

II.

*Naturale dibilitum compensari potest.*

III.

*Bona fidei possessio omnes perceptos & consumptos fructus irrevocabiliter suos facit.*

*Man-*

I V.

*Mandator vulneris tenetur de cade subse-  
cuta.*

A I R A V. I O R O

*Species cum quantitate compensari nequit.*

